

PRUDENCE

DITTOCHAEON (196 vers)

- DE ADAM ET EVA
- D1 v.1 Eva columba fuit tunc candida ; nigra deinde
2 facta per anguinum malesuada fraude venenum,
3 tinxit et innocuum maculis sordentibus Adam ;
4 dat nudis ficulna draco mox tegmina victor.
- DE ABEL ET CAIN
- D2 v.1 Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
2 aestimat, accipiens viva et terrena refutans.
3 Rusticus invidia pastorem sternit : in Abel
4 forma animae exprimitur, caro nostra in munere Cain.
- DE NOE ET DILUVIO
- D3 v.1 Nuntia diluvii jam decrescentis ad arcam
2 ore columba refert ramum viridantis olivae.
3 Corvus enim ingluvie per foeda cadavera captus
4 haeserat ; illa datae revehit nova gaudia pacis.
- DE ABRAHAM ET HOSPITIO EIVS
- D4 v.1 Hospitium hoc domini est, ilex ubi frondea Mambrae
2 armentale senis protexit culmen ; in ista
3 risit Sara casa subolis sibi gaudia sera
4 ferri et decrepitum sic credere posse maritum.
- MONVMENTVM SARAE
- D5 v.1 Abraham mercatus agrum, cui conderet ossa
2 conjugis, in terris quoniam peregrina moratur
3 justitia atque fides : hoc illi milibus emptum
4 spelaeum, sanctae requies ubi parta favillae est.
- SOMNIVM PHARAONIS
- D6 v.1 Bis septem spicae, vaccae totidem Pharaoni
2 per somnum visae portendunt dispere forma
3 uberis atque famis duo per septennia tempus
4 instare ; hoc solvit patriarcha interprete Christo.
- A FRATRIBUS AGNITUS JOSEPH
- D7 v.1 Venditus insidiis fratrum puer, ipse vicissim
2 cratera in farris sacco clam praecipit abdi ;
3 utque reos furti Joseph tenet, auctio fallax
4 proditur ; agnoscunt fratrem veniaque pudescunt.
- IGNIS IN RVBO
- D8 v.1 Sentibus involitans Deus igneus ore corusco
2 compellat juvenem, pecoris tunc forte magistrum ;
3 ille capit jussus virgam, fit vipera virga,
4 solvit vincla pedum, properat Pharaonis ad arcem.
- ITER PER MARE
- D9 v.1 Tutus agit vir justus iter vel per mare magnum.

2 Ecce Dei famulis scissim freta rubra dehiscunt,
 3 cum peccatores rabidos eadem freta mergant :
 4 obruitur Pharao, patuit via libera Moysi.

MOYSES ACCEPIT LEGEM

D10 v.1 Fumat montis apex divinis ignibus, in quo
 2 scripta decem verbis saxorum pagina Moysi
 3 traditur ; ille suos suscepta lege revisit ;
 4 forma sed his vituli solus deus et deus aurum.

MANNA ET COTVRNICES

D11 v.1 Panibus angelicis albent tentoria patrum.
 2 Certa fides facti : tenet urceus aureus exim
 3 servatum manna ; ingratis venit altera nubis
 4 atque avidos carnis saturat congesta coturnix.

SERPENS AEREVS IN EREMO

D12 v.1 Feruebat via sicca eremi serpentibus atris,
 2 jamque venenati per vulnera livida morsus
 3 carpebant populum ; sed prudens aere politum
 4 dux cruce suspendit, qui virus temperet, anguem.

MOYSES AQVAS AMARAS PER LIGNVM IN DVLCEDINEM VERTIT

D13 v.1 Aspera gustatu populo sitiante lacuna
 2 tristificos latices stagnanti felle tenebat.
 3 Moyses sanctus ait : " Lignum date, gurgitem in istum
 4 conicite, in dulcem vertentur amara saporem. "

AELIM LVCVS IN EREMO

D14 v.1 Devenere viri, Moysi duce, sex ubi fontes
 2 et sex forte alii vitreo de rore rigabant
 3 septenas decies palmas, qui mysticus Aelim
 4 lucus apostolicum numerum libris quoque pinxit.

DVODECIM LAPIDES IN IORDANE

D15 v.1 In fontem refluio Jordanis gurgite fertur,
 2 dum calcanda Dei populis vada sicca relinquit ;
 3 testes bis seni lapides, quos flumine in ipso
 4 constituere patres in formam discipulorum.

DOMVS RAAB MERETRICIS

D16 v.1 Procubuit Jericho, sola stant atria Raab.
 2 Hospita sanctorum meretrix (tanta est fidei vis)
 3 incolumi segura domo spectabile coccum
 4 ignibus adversis in signum sanguinis offert.

SAMSON

D17 v.1 Invictum virtute comae leo frangere Samson
 2 adgreditur ; necat ille feram, sed ab ore leonis
 3 mella fluunt, maxilla asini fontem vomit ultro :
 4 stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus.

SAMSON

D18 v.1 Ter centum vulpes Samson capit, ignibus armat,
 2 pone faces caudis circumligat, in sata mittit
 3 allophylum segetesque cremat : sic callida vulpes,
 4 nunc heresis, flammam vitiorum spargit in agros.

DAVID

D19 v.1 David parvus erat, fratrum ultimus, et modo Jesse
2 cura gregis, citharam formans ad ovile paternum ;
3 inde ad delicias regis, mox horrida bella
4 conserit et funda sternit stridente Golian.

REGNVM DAVID

D20 v.1 Regia mirifici fulgent insignia David :
2 sceptrum, oleum, cornu, diadema et purpura et ara ;
3 omnia conveniunt Christo, chlamys atque corona,
4 virga potestatis, cornu crucis, altar, olivum.

AEDIFICATIO TEMPLI

D21 v.1 Aedificat templum Sapientia per Salomonis
2 obsequium ; regina austri grave congerit aurum.
3 Tempus adest, quo templum hominis sub pectore Christus
4 aedificet, quod Graia colant, quod barbara ditent.

FILII PROPHETARVM

D22 v.1 Forte prophetarum nati dum ligna recidunt
2 fluminis in ripa, cecidit discussa bipennis ;
3 gurgite submersum est ferrum, sed mox leve lignum
4 injectum stagnis ferrum revocabile fecit.

HEBRAEI IN CAPTIVITATEM DVCTI

D23 v.1 Gens Hebraeorum peccamine capta frequenti
2 fleverat exilium dirae Babylonis ad amnes ;
3 tum patrios cantare modos praecepta recusat
4 organaque in ramis salicis suspendit amarae.

DOMVS EZECHIAE REGIS

D24 v.1 Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos
2 praescriptum proferre diem legemque obeundi
3 tendere, quod gradibus, quos vespera texerat umbra,
4 lumine perfusis docuit sol versus in ortum.

MARIAE ANGELVS GABRIEL MITTITVR

D25 v.1 Adventante Deo descendit nuntius alto
2 Gabriel Patris ex solio sedemque repente
3 intrat virgineam : " Sanctus te Spiritus ", inquit,
4 " implebit, Maria ; Christum paries, sacra virgo. "

CIVITAS BETHLEM

D26 v.1 Sancta Bethlem caput est orbis, quae protulit Iesum,
2 orbis principium, caput ipsum principiorum.
3 Urbs hominem Christum genuit, qui Christus agebat
4 ante Deum, quam sol fieret, quam lucifer esset.

MAGORVM MVNERA

D27 v.1 Hic pretiosa magi sub virginis ubere Christo
2 dona ferunt puero myrrhaeque et turis et auri ;
3 miratur genetrix tot casti ventris honores
4 seque Deum genuisse hominem, regem quoque summum.

AB ANGELIS PASTORES ADMONITI

D28 v.1 Pervigiles pastorum oculos vis luminis implet
2 angelici, natum celebrans de virgine Christum.
3 Inveniunt tectum pannis ; praesepe jacenti

4 cuna erat ; exultant alacres et numen adorant.

OCCIDVNTVR INFANTES IN BETHLEM
 D29 v.1 Impius innumeris infantum caedibus hostis
 2 perfurit Herodes, dum Christum quaerit in illis ;
 3 fumant lacteolo parvorum sanguine cunae
 4 vulneribusque madent calidis pia pectora matrum.

BAPTIZATVR CHRISTVS
 D30 v.1 Perfundit fluvio pastus Baptista locustis
 2 silvarumque favis et amictus veste cameli ;
 3 tinxerat et Christum, sed Spiritus aethere missus
 4 testatur tinctum, qui tinctis crimina donet.

PINNA TEMPLI
 D31 v.1 Excidio templi veteris stat pinna superstes ;
 2 structus enim lapide ex illo manet angulus usque
 3 in saeculum saeculi, quem spererunt aedificantes ;
 4 nunc caput est templi et lapidum conpago novorum.

EX AQUA VINVM
 D32 v.1 Foedera conjugii celebrabant auspice coetu
 2 forte Galilei ; jam derant vina ministris ;
 3 Christus vasa jubet properanter aquaria lymphis
 4 impleri, inde meri veteris defunditur unda.

PISCINA SILOA
 D33 v.1 Morborum medicina latex, quem spiritus horis
 2 eructat variis fusum ratione latenti ;
 3 Siloam vocitant, sputis ubi conlita caeci
 4 lumina salvator jussit de fonte lavari.

PASSIO IOHANNIS
 D34 v.1 Praemia saltatrix poscit funebria virgo
 2 Johannis caput abscisum, quod lance reportet
 3 incestae ad gremium matris ; fert regia donum
 4 psalteria respersis manibus de sanguine justo.

PER MARE AMBVLAT CHRISTVS
 D35 v.1 It mare per medium Dominus, fluctusque liquentes
 2 calce terens jubet instabili descendere cymba
 3 discipulum ; sed mortalis trepidatio plantas
 4 mergit ; at ille manum regit et vestigia firmat.

DAEMON MISSVS IN PORCOS
 D36 v.1 Vincla sepulcrali sub carcere ferrea daemon
 2 fregerat : erumpit pedibusque advolvitur Iesu ;
 3 ast hominem Dominus sibi vindicat et jubet hostem
 4 porcorum furiare greges ac per freta mergi.

QVINQVE PANES ET DVO PISCES
 D37 v.1 Quinque Deus panes fregit piscesque gemellos ;
 2 his hominum large saturavit milia quinque ;
 3 implentur nimio micarum fragmine corbes
 4 bis seni : aeternae tanta est opulencia mensae !

LAZARVS SVSCITATVS A MORTVIS
 D38 v.1 Conscius insignis facti locus in Bethania

2 vidit ab inferna te, Lazare, sede reversum ;
 3 apparet scissum fractis foribus monumentum,
 4 unde putrescentis redierunt membra sepulti.

AGER SANGVINIS

D39 v.1 Campus Acheldemach sceleris mercede nefandi
 2 venditus exequias recipit tumulosus humandas ;
 3 sanguinis hoc pretium est Christi. Juda eminus artat
 4 infelix collum laqueo pro crimine tanto.

DOMVS CAIPHAE

D40 v.1 Impia blasphemi cecidit domus ecce Caiphae,
 2 in qua pulsata est alapis facies sacra Christi.
 3 Hic peccatores manet exitus, obruta quorum
 4 vita ruinosus tumulis sine fine jacebit.

COLVMNA, AD QUAM FLAGELLATVS EST CHRISTVS

D41 v.1 Vincit in his Dominus stetit aedibus atque columnae
 2 adnexus tergum dedit ut servile flagellis.
 3 Perstat adhuc templumque gerit veneranda columna,
 4 nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

PASSIO SALVATORIS

D42 v.1 Trajectus per utrumque latus laticem atque cruorem
 2 Christus agit : sanguis victoria, lympham lavacrum est.
 3 Tunc duo discordant crucibus hinc inde latrones
 4 contiguus : negat ille Deum, fert iste coronam.

SEPVLCRVM CHRISTI

D43 v.1 Christum non tenuit saxum, non claustra sepulcri ;
 2 mors illi devicta jacet, calcavit abyssum,
 3 sanctorum populus superas simul ivit ad oras,
 4 seque dedit multis tactuque oculisque probandum.]

MONS OLIVETI

D44 v.1 Montis oliviferi Christus de vertice sursum
 2 ad Patrem rediit signans vestigia pacis ;
 3 frondibus aeternis praepinguis liquitur umor,
 4 qui probat infusum terris de chrismate donum.

PASSIO STEPHANI

D45 v.1 Primus inquit Stephanus mercedem sanguinis imbri
 2 adflictus lapidum ; Christum tamen ille cruentus
 3 inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi
 4 hostibus : o primae pietas miranda coronae !

PORTA SPECIOSA

D46 v.1 Porta manet templi, Speciosam quam vocitarunt,
 2 egregium Salomonis opus ; sed majus in illa
 3 Christi opus emicuit ; nam claudus surgere jussus
 4 ore Petri stupuit laxatos currere gressus.

VISIO PETRI

D47 v.1 Somniat inlapsus Petrus alto ex aethere discum
 2 confertum omnigenis animalibus : ille recusat
 3 mandere, sed Dominus jubet omnia munda putare ;
 4 surgit et immundas vocat ad mysteria gentes.

VAS ELECTIONIS

D48 v.1 Hic lupus ante rapax vestitur vellere molli :
2 Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus.
3 Mox recipit visum, fit apostolus ac populorum
4 doctor et ore potens corvos mutare columbis.

APOCALYPSIS IOHANNIS

D49 v.1 Bis duodena senum sedes pateris citharisque
2 totque coronarum fulgens insignibus agnum
3 caede cruentatum laudat, qui evolvere librum
4 et septem potuit signacula pandere solus.